

ipsum per totam ciuitatem clamando Iste ualens homo se uadit ad interficiendum  
 ipsemet propter amorem talium ydolorum. & per hunc modum portant ipsum  
 per ciuitatem. Et cum ad locum peruenerit ubi iusticia debet fieri. Ille qui mori  
 debet accipiet duos ex gladijs & alta uoce clamans. ego me occido propter amorem  
 talium ydolorum statim in uno ictu. gladios afiget in coxis. postmodum duos  
 in brachijs. duos in uentre duos in pectore. & sic omnes figit pro quolibet ictu  
 clamando me occido amore talium ydolorum. Et omnibus fixis. tunc habens  
 unum cultelum cum duobus manubrijs similem illis cum quibus circuli laborantur.  
 ipsum postponit ad occiput. & fortiter ad se trahens sibi collum trucidit quia  
 optime est ille cultelus acutus. & moritur ipso facto tunc consanguinei eius cum  
 magno gaudio corpus ipsum comburunt. Item alia consuetudo habetur in regno  
 uidelicet quod cum aliquis homo mortuus est & corpus suum comburitur. eius  
 uxor in igne prohicetur/ se dimitens comburrere amore uiri sui. Et mulieres que  
 71r<sup>o</sup> hoc| faciunt multum ab alijs gentibus collaudantur & multe sunt que faciunt set  
 non omnes. Isti de hoc regno adorant ydola. & pro maiori parte boues. dicunt  
 enim quod bos sit bona res ualde. & nemo de carnibus bouum comederet aliqua  
 causa mundi. set ibi est quoddam genus hominum qui nuncupantur gaui & isti  
 bene comedunt carnes bouinas non quod audeant occidere. set quando aliquis  
 bos propria morte moritur uel aliter isti gaui comedunt bene ipsum. Et intingunt  
 omnes domus eorum de stercore bouum. habent etiam aliam consuetudinem.  
 uidelicet quod rex & barones & omnes alie gentes sedent super terram. Et quando  
 requiruntur quare hoc faciant. & quare magis honorate non sedent dicunt quod  
 sedere super terram est satis honorabile. quia de terra fuimus & in terra reuertemur.  
 Et ideo nullus posset nimis honorare terram & nullum debet ipsam despiciere &  
 etiam isti gaui & omnes eorum progenies sunt illi quorum predecesores inter-  
 fecerunt sanctum thomam apostolum. Et nullus de eorum progenie posset  
 intrare locum ubi est corpus beati thome. quia locus ipsos non recipit propter  
 uirtutem corporis sancti. In isto regno non oritur aliqua seges nisi solummodo  
 risum & suximani. Et unum mirabile narabimus. quod si unus magnus dextrarius  
 cum una dextraria magna cohyret. nasceretur paruus puledrus qui esset tortus  
 71v<sup>o</sup> pedes. & nullius ualoris causa equitandi. Iste uero gentes ad prelium uadunt  
 cum lanceis & clipeis & sunt nude. & non sunt ualentes neque probe. set sunt  
 uiles & tristes non occidunt aliquas bestias uel animalia. set quando uolunt carnes  
 comedere arietum uel aliarum bestiarum uel auium. faciunt ipsas a sarracenis occidi  
 & ab alijs gentibus que mores eorum & legem non seruant habent insuper con-  
 suetudinem aliam uidelicet quod omnes tam masculi quam femine. lauant se bis  
 in die in aqua totum corpus uidelicet in mane & in sero aliter nunquam comederent  
 neque biberent priusquam essent loti Et ille qui se non lauaret bis in die tanquam

*nota quod aliqui  
 occidunt se amore  
 ydolorum.*

*nota*

*adorat ydola  
 adorant bou[es]*

*sedent in tera dicentes  
 esse honorabile quia sumus  
 de terra &ct*